



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 161. Philippi Heilbrunneri, & Scipionis Gentilis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

serum de Imperatorum in Sedem apostatico-Romanam munificentia, necnon controversias binas de S. Scriptura contra Jesuitas, & de Persona Christi contra Calvinistas, contra quos etiam elucubrabat suum Calvinistam Aulico-politicum. Edidit quoque disputationes de formula concordiae, explicationem planam libri Christianae concordiae, & XL. disputationes de articulis Augustanae Confessionis & libri Concordiae præter analysin suam methodicam ejusdem confessionis: Adversus Catholicos suum vel maxime calamum exercuit, editis variis libris, quos inter præcipui erant, loci communes contra Sacrificium Papale missaticum, triumphus de Regno Pontificio & Ilias malorum Regni pontificio - Romani.

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

§. CLXI.

Philippi Heilbruneri, & Scipionis Gentilis extrema.

Ejusdem sectæ Scriptor pariter hoc anno die decima septima Aprilis decessit Philippus Heilbrunerus Jacobi ejusdem nominis frater, qui Theologiæ Professor ac Doctor Colloquio Ratisbonensi interfuit, posterisque reliquit *Synopsin variorum errorum, librum de innocentia Lutheri, & vaticinia Prophetarum in locos communes digesta.* Alter erat Scipio Gentilis, natione Itatus, qui in
fausto

Sæc. XVII. A. C. 1616. fausto Sydere ex Patre A catholicis genitus in Lutheri secta enutriebatur, variasque Regiones studiorum causa per vagatus, atque Altdorffii Juris prudentiam professus, ibidem die septima Augusti mortalitatem exiit: Inter cetera ingenii sui monumenta exstat commentarius in Epistolam D. Pauli ad Philemonem: cetera, quæ typis edi curabat, ad jurisprudentiæ forum pertinent.

§. CLXII.

De unione Calvinistas inter & Lutheranos incassum a Pareo actum.

Jeger. Hist. Eccl. l. 4. c. 3.

Hoc anno David Pareus Heidelbergensis Theologus Calvinista librum edidit, cui titulus: *Irenicum seu de unione & Synodo*: Pollicebatur ibi magno verborum apparatu, quod omnes utriusque sectæ controversias tam dilucide moderarit, ut utriusque partis Theologi iis tutissime aquiescere possint: quæ tamen verba multo melle, largisque promissionibus referta virium tamen & veritatis parum habuisse, credebant Lutherani; ex quibus Sigwartus Tubingensis Professor hunc librum confutabat: Ceterum prætensæ hujus unionis medium fore proponebat Pareus, si Religionis dissidia ad Synodum generalem devolverentur, interim vero tam
Luthe-